N 30.

CLEMENS. PP. VIII.

Carissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Grauis molestiæ, quin potius non mediocris doloris materiam attulerunt nobis litteræ superioribus diebus ad nos scriptæ à Venerabili fratre nostro Hipatio Archiepiscopo Metropolitæ Chiouiæ et totius Russiæ, quem ob spectatam uirtutem et zelum Catholicæ fidei, et ob susceptos labores in negotio sanctæ Vnionis Ruthenorum, ut tua etiam Maiestas nouit, et merito plurimi facimus, et ualde in Domino amamus. Is autem dolenter nobis exponit Episcopum Leopoliensem Ruthenici ritus, qui cum ipso Archiepiscopo ad hanc almam Vrbem uenit et coram nobis et Venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, immo etiam coram Deo, et Angelis eius omne schisma et ueteres errores damnauerat et ad vnitatem Ecclesiæ Catholicæ redierat, nobisqs licet immerito eidem Ecclesiæ in hac sancta Apostolica Sede Deo auctore Præsidentibus, obedientiam debitam præstiterat, hunc Leopoliensem, miserandum plane hominem, fidem quam ritu adeo solemni palam professus fuerat, deseruisse atqs irritam fecisse, et denique ab vnitate Ecclesiæ apostatasse. Et quidem eius iactura qs uis luctuosa, minus tamen deploranda esset nisi et alijs detrimento esset, multasqs animas pretioso Christi sanguine redemptas in eamdem secum perditionem pertraheret. Narrat enim idem Archiepiscopus et grauiter conqueritur, quod is, de quo dicimus Apostata, nescimus quo Exarchi Titulo à Patriarcha Constantinopolitano auctus et Schismaticorum compluri-um auxilio suffultus, qs plurimis modis eidem Hipatio impedimento est, eiusqs auctoritatem et iurisdictionem sibi assumit, in eius diœcesibus presbyteros creat, Ecclesias consecrat, et falcem ut est in ueteri prouerbio in messem alienam immittit, et denique qui eidem Archiepiscopo, et Metropolitano suo obedire eiqs ut Suffraganeus subesse deberet ita se nunc gerit, ut eius propemodum Dominus effectus esse uideatur. Quæ sane cum indigna et iniusta sunt tum neqs à nobis, neqs à Maiestate tua sunt ullo modo toleranda. Iustis igitur Hipatij Archiepiscopi querelis, ut par est permoti, Maiestatem tuam etiam atqs etiam hortamur et qs efficacissime requirimus, per Dei gloriam et animarum utilitatem, ut hoc malum ingrauescere ne patiaris, sed qs primum opportuna remedia adhibeas, hominisqs desertoris audaciam, et insolentiam coerceas, ipsumqs Archiepiscopum Deo, et tibi egregie fidelem, ita ope et auctoritate tua complectaris ac foueas ut nemo illi ad muneris sui officia obeunda impedimento sit, neue à quoqs in suis diœcesibus suorumqs munerum functione perturbetur, multo minus à desertore illo, qui modis omnibus est comprimendus, iaqs à te fili Carissime tanta cum efficacia petimus ut maiore non possimus. Dei negotium est, de animarum salute, de fidei Catholicæ et sanctæ Vnitatis conseruatione agitur. dignum est ut à te toto cordis affectu suscipiatur, et omni opera ac studio adiuuetur. erit id Deo inprimis et nobis etiam quam gratissimum. quod copiosius intelliges ex Venerabili fratre Claudio Episcopo Regiensi nostro Apostolico Nuntio, cui nominatim mandauimus, ut de tota hac causa, quæ cordi nobis est maxime diligenter agat cum Maiestate tua cui annos felicissimos, et diuinæ gratiæ donis abundantes semper optamus, eidemqs nostram paternam et Apostolicam benedictionem ex intimis præcordijs nostris impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXIIII. Januarij. M. DCIII. Pontificatus Nostri Anno Vndecimo.

: Siluius Antonianus Card:

106.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniæ, et Sueciæ Regi Illustri &c.

De Illustrissimo Principe Leopoldo Insulæ Sacræ

Romæ

Nº 5.

P. 23 Januar. 1603.